Q. D. B. V!

PROPOSITIONES HISTORICAE,

ad Disputandum

publice propositae,

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

HISTORIARVM PROF. PVBL.

a

M. NICOL. CHRIST. REMLINGIO CVRONO.

ANNO cIↄ Iↄc XCIII.

In Auditorio Maiori.

CVM PRIVILEGIO EL. SAXON.

Disputatio VI.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.

I.

ANtiqva Belgii historia ex nemine minus peti potest, qvam ex Dione, tum qvia qvatuor deperditos historiae Livianae libros, pro eo ac par erat, non supplevit, tum qvia Belgium propius non cognovit, tum qvia multa praeteriit, qvae aliunde hauriamus, tum qvia pleraeqve notae numerorum et vocabula in eo sunt depravata. Qvanqvam haec non impediunt, qvominus Dionem inter prudentissimos historiae augustae scriptores numeremus.

II. Is vero Belgas nullo alio, nisi Celtarum nomine appellavit, Caesarisqve fidem alioqvi secutus, Belgarum duntaxat vocabulum immutavit, Celtasqve est interpretatus, qvos Caesar Belgas vocavit. *vid. Dion. XXXIX. Collat. cum Caes. II. B. G.* Qvod in mentem mihi venit mirari, propterea qvod multi, et nominatim Graeci, qvi aevo augusto floruere scriptores, Belgarum nomen Graece expresserunt.

III. Proinde haud levis fuit inscitia Latini interpretis, qvum Belgas extulit, qvos Celtarum appellatione complexus est Dio, *l. XL. p. 104. edit. Xylandr.* Etsi enim usu Dionis significatione paria faciunt, tamen non integrum est mutare nomina, etiamsi ad amplius aliqvod denotandum proferri coeperunt.

IV. Tum vero Dio semper sibi similis est, moremqve hunc accurate servat, ut Germanos qvoqve transrhenanos Celtarum nomine insigniat, Germanos autem cisrhenanos recepto Germanorum nomine constanter appellet.

V. Atqvi vero Celtarum nomine etiam Galatae, Gallorum coloniae, sunt comprehensi, qvod praeter Polybium et Diodorum Siculum Plutarchus comprobat, qvi Galatas

vocat, qvos qvidem Gallos nos vocamus, *in Paulo Aemilio p. 261. edit. Xyland.*

VI. Ex eodem palam aperteqve conſtat, etiam prope Iſtrum incoluiſſe, qvod indicio eſt, in ſupplementis Curtianis, qvae non ſunt antiqviora ſec. XV. perperam ſcriptos eſſe Germanos pro Celtis, *l. 2. ſuppl. p. mih. 11. Qvem errorem ſecutus eſt Iacobus VVimphelingus epitom. cap. 5. p. 320.* Proinde Arrianus, qvamlibet Curtio poſterior, Celtas commemorat, qvorum finibus etiam ſunt comprehenſi Pannones, a qvibus Hunni Hungariqve toto, qvod aiunt, coelo diſtant. *V. Arrian. l. 1. exp. Alex. M. De Celtica veteri conf. doctiſſimus* Lambecius *l. 1. Bibl. Vindob. et Cluverius in Germania antiqva.*

VII. Ceteroqvin Belgium, qvod Gallicum dici coeptum eſt, iure antiqviſſimo ſeparatas rationes habuit a Francogallia, qvae multum differt a priſca Aboriginum Gallia, minimeqve confundi debet cum Francia Tevtonica, in qva prima iuris *capitulandi* incunabula ſunt qvaerenda, qvae tamen nulla ſolida ratione hactenus qvaeſiverunt pleriqve eruditi.

VIII. Carolus M. natus eſt in Francia Orientali, ſpeciatim in Turingia trans Vnſtrutana, nominatim in Eichsfeldia, ut ex diplomate Fuldenſi, qvod primo omnium Chriſtophorus Brovverus edidit, apertiſſime conſtat. Abavus eius Pipinus Heriſtalii, qvod Brabantiae finibus continetur, in lucem ſuſceptus eſt, unde et Heriſtallii cognomen tulit. Diverſum eſt Heriſtallium Saxonicum, cuius mentio fit *in annal. Pithoean. 798. et apud monachum Egolismenſem. p. 258.*

IX. Ineptus autem iudiciiqve civilis plane expers ſit, qvi ea de cauſa Carolum M. Thuringum nuncupandum eſſe cenſeat.

V. Nihilo melius ſentiant oportet, qvi aut Gallum ſine adiectione, aut Germanum tantummodo nominant: revera enim nec Gallus fuit, nec Germanus accurate nominatur.

XI. Pro-

XI. Proinde qvum imperium Romanorum iure pacti adeptus est, nil eo nomine tituloqve Germanis acqvisivit.

XII. Fuit qvidem utraqve Francia, Orientalis et Occidentalis, in ditione imperioqve Caroli M. sed iure finibusqve utraqve semper discreta fuit, alteraqve etiam praerogativam loci ordinisqve adepta est, ut vel sic intelligi possit, Franciam Orientalem non fuisse partem appendicemqve Francogalliae, tanqvam belli iure ad eam adiuncta esset: qvod multi rerumqve ignari de Saxonia prodiderunt, qvasi a Carolo M. in provinciam redacta esset.

XIII. Neqve hodierni reges, qvos cum vulgo ipsi nos etiam Galliae reges vocitamus, accurate hoc nomine ornantur, neqve id receperunt unqvam, aut ullo vero priscoqve monumento instrumentoqve publico germano et probo ita sunt cognominati. Vt ne a limine qvidem historiam salutaverint, qvi a Corolo Calvo id repetere ausint, etsi illi perpetuo divisionis pacto Francia occidentalis est attributa.

XIV. Extra omnem dubitationem est, Galliam Belgicam, ratione cuius atqve regni Arelatensis, qvod nondum desiit civiliter a Germania possideri, Pontifex atqve Princeps Trevirensis Archicancellarii, sive ut veteri aevo loqvebantur, Arcapellani munere perfungitur, Germanicae esse ditionis.

XV. Idemqve ius *metropolitanum* in Episcopatibus Metensi, Tullensi et Virodunensi etiamnum conservat, etsi supremum imperium dominiumqve illorum regi Francogallico cessum attributumqve fuit, *Inst. Pac. Monast.* §. *primo qvod.*

XVI. Ratio eius pactionis fuit, qvod alioqvi Pontifex primae Belgicae nullos habiturus fuisset Episcopus suffraganeos, qvod absurdum erat nulloqve modo admittendum.

XVII. Praeterea cessio supremi dominii eodem *capite, primo qvod,* facta, non proferenda est ultra fines, in qvos descripti sunt praedicti episcopatus suffraganei Metensis, Tullensis et Virodunensis, propterea qvod I. cessiones sunt stricti iuris:

ris: .II. cessio illa pariter explicata et definita est, ut ultra ambitum districtumqve nominatorum episcopatuum ne porrigatur: III. instituto paciscentium convenit haec expositio: IV. in pactionis huius §. ita declaratur atqve determinatur. V. in conventu legatorum Monasteriensi hanc in sententiam ratio est allata. VI. Nec aliter in conventu Osnabrugensi coepta est declaratio Ordinum Imperii. VII. Congruit cum mente arbitrorum Ratisbonensium, qvibus Rex Galliae permisit huius controversiae iudicium, etsi ob bellum postea ortum, atqve in Germaniae fines translatum, nondum subsecutus est eventus. VIII. Argumentum huius interpretationis positum praecipue est in verbis, *et nominatim Moienvicum.* Etenim dum *Moienvicum* , qvod nominatim exprimitur ad praecidendam litis occasionem, includitur finibus trium dictorum Episcopatuum , inde a contrario est colligendum, comitatus principatusqve extra ambitum illorum Episcopatuum sitos excludi. IX. Iniqvum enim est, ab rege solo sumi potestatem interpretationis, prasertim qvum ipse est inter partes litigantes, iureqve et iudicio gentium experiri necesse habet. Estqve hoc tale caput, ut in conventu pacis causa Neomagi instituto summa cum ratione prudentiaqve confectum dari oporteat, habeantqve Caesaris et Foederatorum legati, in qvo elaborent atqve enitantur. XI. Summa controversiae huc spectat, ut plane moreqve pragmatico loqvar, eos tractus et provincias, qvae sitae sunt extra districtum episcopatuum Mentensis, Tullensis et Virodunensis, continenturqve adeo finibus regni Germanici, qvod vulgo imperium vocant, non pertinere ad pactum *translativum,* qvo regi Francogalliae cessum est supremum ius ac dominium trium illorum episcopatuum, sed excludi ab illa nominatorum episcopatuum cessione, prorsusqve eo loco esse, qvo sunt *immediati Status* eiusmodi provincias , qvamlibet dictis Episcopatibus lege beneficiaria obnoxias, degenerasse a superiori *qvalitate* , *feudaqve hereditaria* fieri coepisse, et

forum

forum non alibi qvam in Germania, in cuius ambitu extra fines nominatorum episcopatuum sita sunt, sortiri.

XVIII. Sed mitto haec, qvae publicam nostrorum temporum causam attingunt, redeoqve ad Belgicam, qvae etsi Germaniae iure et legibus coniungi coepit, tamen Plinius et Augusti scriptores Germaniam cisrhenanam inferiorem a Belgica stricte accurateqve sumta distingvunt.

XIX. Primam Belgicam incolunt Treviri, qvorum apud scriptores priscos mentio per est freqvens, constatqve insuper, caput rerum ibi fuisse Augustam Trevirorum, ubi qvondam et domicilium Romanorum Caesarum, et officina qvoqve numaria fuit: alterum ex Ammiano Marcellino, Iuliani expeditionis comite, testeqve oculato liqvet, alterum probant numi in urbe Trevirorum cusi, qvi ostendunt has literas: P. TR. id est, pecunia Trevirensis.

XX. Τριβάγροι apud Strabonem, qvem Geographum historicum appellare liceat, mea et multis rationibus argumentisqve innixa opinione mendose leguntur, *Geograph. l. 4.* Agit enim ibi de Tungris, qvi propius a Rheno absunt, nunqvam enim leguntur Trivagri, etsi in antiqvis codicibus Latinis, Triusgros invenimus. Contra apud Dionem restituenda est lectio τρευήρων, qvos vulgo, sed perperam exprimunt, τριήρων, retinetqve corruptum hoc vocabulum G. Xylander, recte autem per Treviros interpretatur, *l. XXXI. p. 113.* Eam, perinde ac Belgicam, primae aetatis reges Francorum eripuerunt Romanis, fuitqve ibi sedes qvaedam priscorum bellorum, *Hirtius de B.G. lib. 8. Ammianus Marcellinus l. 15. Rorico monachus l. 1.* Ex Vopisco potest intelligi imperante Tacito non aliter, qvam Romam transalpinam fuisse habitam, omnibusqve Belgicae et Germaniae urbibus, Remisqve ipsis, et Coloniae Agrippinae praelatam, postea autem, qvam Romani domicilium soliumqve Arelatum transferrent, populis transrhenanis cessisse in praedam, qvasi datum esset hoc omen Francis Galliae potiundae.

dae. Abſurdus eſt Guil. Kyriander, qvi ultra Romanorum tempora ultimas urbis origines profert, *Commentar. de Aug. Trev. p. 2. ſeq.*

XXI. Archiepiſcopatus Trevirenſis, ſive pontificatus Moſellanicae nunqvam fuit Francogalliae iure clientelari obnoxius, falſusqve nuper et inanis eam in rem ſparſus eſt rumor a Francogallis, qvi qvemadmodum a tempore Ludovici XI. Belgicam Burgundiamqve ad Francogalliam adiungere in animo habuerunt, ſuperioriqve aevo, cum regnaret Henricus IV. rurſum deſtinarunt, nuper etiam, auſpiciis hodierni regis, tale conſilium confectum dare voluerunt, ut cum Carolo Caſpare Electore Trevirenſi veluti cum Principe clientelari agerent, poſtularentqve ab eo, ut ſibi traderet Confluentiam et Ehrenberti caſtrum, praeſidiumqve Caeſareum amoveret, atq; adeo Chriſtophori ſuperioris Archiepiſcopi, qvi rerum potiente Ludovico XIII. ſe in Gallicam clientelam dederat, fortunam ſubiret, exemplumqve imitaretur. Auctor eſt Fr. Belcarius, Ludovicum XI. Provincias Burgundicas, qvo iure, qvave iniuria invadere conſtituiſſe, in qvas alioqvi ipſum nil iuris habuiſſe non diffitetur Phil. Cominaeus, taciteqve ſubindicat, Ludovicum XI. qvi iuſto aeqvoqve connubii titulo eas ad Gallicae gentis Principem deferre, et qvod hinc ſeqvitur, devolvere ad regnum potuiſſet, vindictae cupiditate incenſum, domus Burgundicae bello delendae conſilium atqve cogitationem ſuſcepiſſe *ille lib. 3. Comment. Gall. hic lib. 8.* De Henrico IV. Burbonio prodit Angelus Galluccius, in ſpem veniſſe Belgii ad reliqvam Galliam rurſus adiungendi, id eſt, Belgicam Gallicam in regni Francogallici fidem ditionemqve redigendi, *de bell. Belg. part. 2. l. 20. p. 463.* Dudum vero hoc intellectum eſt F. Belgis, qvibus non expediebat, ut Hiſpani plane frangerentur, atqve ex univerſo Belgio abigerentur, *Ioannes Sande Belg. hiſt. epitom. append. pag. 408. ſeqq.* Nec aliud Barneveldii propoſitum fuit, cum inducias ab rege Hiſpaniae oblatas minime reſpuendas cenſeret, qvibus tamen Mauritius Auriacus a mente con-

ſi-

filioqve Henrici IV. non alienus summopere est adversatus. *Auctor phosphori Austr. part. 2. p. 183. Galluccius. p. 456.* Causa Christophori, Pontificis Belgicae primae, in odium Ferdinandi II. suscepta, speciosisqve rationibus adornata, colorem defensae tunc, revera autem nuper oppressae libertatis effectum exitumqve habuit, *Adolph. Bracbel. ad an. 1632. Caesarianus Furstenerius de suprematu Princip. Germ. cap. 61. Petrus Valckenier in perturbat. Europ. part. 2. p. 99. et part. 4. p.* 407. Qvod malo suo didicit Carolus Caspar, cui multis oneribus molestiisqve defuncto, posteaqve mortuo fides et constantia decus praemiumqve immortalis laudis rependunt, qvippe qvi cum in sententiam regis Francogalliae sese adduci non pateretur, et qvamobrem id non posset, graviter copioseqve exponeret, pro hoste habitus, et fortunis possessionibusqve eversus, Augustam Trevirorum hostis licentiae relinqvere necesse habuit, non ignarus destinationum regis, qvae eo spectabant, ut bellum in Germanos translaturus, Rheni Mosellaeqve itinera in potestatem redigeret occupatoqve Traiecto ad Mosam, victorias magis magisqve proferret.

XXII. Illud vero neminem, etiam modice actorum eventorumqve nostri seculi peritum fugit, Henricum IV. cui magni nomen additum est, ab eo tempore, qvo fessam discordiis Francogalliam ab interitu vindicavit planeqve corroboravit, de Belgio, qvod aegre nuper coaluerat debilitando statim consilium cepisse, ut hac qvoqve via procederet ad Belgium Hispanicum, ditioneqve regni sui coniungeret, si Batavorum armis attritum prostratumqve ipsum se deinceps non regere amplius sustinereqve posset: has rationes si confectas haberet, aditus qvoqve ad invadendos Batavos qverebatur: hinc tendere in Germaniam, specieqve defendendae libertatis Austrios, qvos ab arbitrio rerum Germanicarum seiunctos esse cupiebat, invadere, roboreqve eorum oppresso, ad nutum Germanos circumagere studebat: qvod cum pro eo, ac volebat, effe-

ctum dare ei non esset integrum, filiusqve etiam prohiberetur, qvominus per patris vestigia incederet ad ultimum Nepos Ludovicus XIV. continere se non potuit, qvin avum imitaretur, consiliumqve perficeret, bellumqve Hispanicae ditionis Belgis specioso non solutae dotis *devolutionisqve* titulo inferret. Qvo tempore primum expergefacti sunt Foederati Ordines, omnemqve operam, consilia et vires foedusqve sermonibus nostri aevi celebratum avertendo periculo, qvod subactis Hispanis, sibi qvoqve impenderet, adhibere, adverterеqve animos diligenter coeperunt: qvo factum est, ut in eius regis invidiam venirent, belloqve formidabili peterentur. Non poterat dubitari, qvin his ea res infeliciter fuisset casura, nisi Austria advigilasset, liberandiqve a periculo Belgii viam reperisset, qvae haud nesciebat lacessi F. Belgium, qvo iter in finitimas Belgii Hispanici regiones aperiretur, essetqve hic gradus perveniendi in Germaniam, grassandiqve ad perniciem suam. Reputabat superiorum acta temporum, habita super *capitulatione* consilia, qvibus sese immiscere studebat Galli foedusqve Rhenanum, qvae eo dirigebantur, ut Caesar inpediretur, qvominus Belgio Hispanico, si ab rege Francogalliae tentaretur, opem ferret, unde res Hispanica in praesentissimum discrimen adducta est, neqve eo minus periculum fuit, qvod Germaniae cisrhenanae ex Alsatia impendebat, ubi nullus aeqvitati locus datus, pactisqve etiam, qvibus decem *imperialibus* Alsatiae civitatibus de iure privilegiisqve cautum erat, vis allata est, ut iam mutati in dominatum regis animi haec sane indicia cernerentur. Namqve sacramentum ab iis exigebat, qvale ii solent et possunt, qvi supremum ius imperiumqve civile habent, qvasi cessio supremae earum praefecturae eam daret largireturqve potestatem, ut Civitatibus nominis iurisqve Germanici pro arbitratu suo leges ferret.

XXIII. Non hic repetam, qvod alibi de *postliminio Austrasiae* dici coeptum est, propterea qvod haec, anteqvam Capetingi in

Fran-

Francogallia regnare coeperunt, fuit iuris Germanici, neqve esse nunc desiit, exceptis qvibusdam eius portionibus, qvae pacto vel in Francogalliae potestatem ditionemqve venerunt, vel in Lotharingiae ducatum, qvatenus supremo iure auctum, redactae fuerunt, adeo ut qvae diserte in illa cessione non sunt expressa, minime pro cessis haberi possint: illa nominantur *Inst. pac. Monast. §. primo qvod:* et §. seqventibus: haec in transactione Norimbergensi sunt definita, eoqve ad Marchionatum Nomenium, aliasqve eius possessiones non porriguntur. Proinde nullum est istud *postliminium*, qvod ratione Austrasiae asseruit praeses Senatus, sive parlamenti Francogallici in Alsatia, *apud Thuldenum hist. lib. 5. p. 351.*

XXIV. Perinde id se habet cum regno Arelatensi, cuius iure Germania non excidit, neqve eius qvidqvam cessit attribuitve Gallis, qvin et dum Helvetios, eius regni ambitu olim comprehensos, *in possessione, vel qvasi plenae libertatis et exemptionis ab imperio* constituit, qvaedam praestanda sibi reservavit, de qvibus vid. *Lundorp. A. P. l. 7. p. 1108. collata epistola pragmatica 1676. nomine imperii ad eos perscripta*, unde perspicitur, eos praeter alia, ex pacto Osnabrugae convento teneri, ut non modo non frangant imperii Germanici pacem, sed ne connivere qvidem aut permittere debeāt, ut illa qvoqvo modo frāgatur turbeturve. Tantumqve abest, ut foedera ipsorum cum rege Galliae inita contra pactionem pragmaticam valeant, ut qvoqve eo casu, qvo regem istum hostem imperii iudicari contingat, uti anno cIↃ IↃc LXXIV. reipsa qvidem id contigit, ex capite contractae obligationis operam officiumqve imperio navare debeant. Sed interpellati nuper rogatiqve etiam nil tale susceperunt, salutemqve neglexerunt Comitatus Burgundiae transiuranae, qvi vulgo liber dicitur, veraqve veteris regni Arelatensis portio, et Germanici regni membrum est, adeoqve propter eum A. cIↃ IↃc LXXIV. interceptum rex Galliae nil praeter naturalem eius possessionem est adeptus. Qvem Comitatum ipsis finitimum,

 et

et patrocinii etiam nomine obnoxium, cur minime tuendum susceperint, rationes utilitatis foederum commerciorumqve Gallicorum eos induxerunt, qvippe nondum oblitos, amicitia societateqve Gallica sese ad libertatem contendisse, qvae postea pactione VVestphalica est confirmata.

XXV. Vbi non praeterierim, Helvetios saltem comiter habere oportere regnum Germaniae, qvod A. cIↃ IↃc. XLIIX. sollicitarunt, ut exempti vel qvasi haberentur, atqve in societatem pacis VVestphalicae reciperentur. Qvod tale est, ut pleriqve subveriti fuerint, ne actione ingrati liceat cum illo populo experiri, si causam imperii comitatusqve Burgundici inposterum deserat, praesertim qvum non solum propter inaestimabile libertatis beneficium, officia amicitiae vicinitatisqve debeat, sed etiam ex pacto ad certa praestanda, iureqve patrocinii ad defensionem comitatus Burgundici teneatur. Qvanqvam sunt, qvi putent, Germaniam non omnibus in universum iuribus in Helvetios ista cessionis formula renunciasse, sed duntaxat eos in possessione, vel qvasi reliqvisse, salvis alioqvi praetensionibus suis. Vtcunqve autem id sit, certe Geneva, mea qvidem sententia, *art. IV. Inst. Pac. Osnabrug.* non comprehenditur, qvia cessionum interpretationes stricte sunt accipiendae: tum vero urbs Genevensis non est *Canto*, seu pagus Helveticus, licet *Cantonibus*, nominatim Bernatibus, perpetuo foedere anno cIↃ IↃc XXXVI. sese adiunxerit.

XXVI. Belgica, qvatenus per pacta cessionum eius fines non immutati sunt, totusqve *Circulus Burgundicus* publice ac solenniter in hodiernis Comitiis Ratisbonensibus de integro pro vero et germano regni Teutonici membro habitus declaratusqve est, promissa ei securitate, sive ut more pragmatico nominant, *gvarantia*, ut communi ope auxilioqve ab irruptionibus Gallicis defendatur. Qvod accidit per decreta A. cIc IↃc LXVII. A. cIↃ IↃc LXXIV. et cIↃ IↃc LXXVI. in Comitiis imperii facta, nuper repetita ac denuo sic confirmata, ut propugnatio eius

Circuli,

Circuli,in qvo et Germaniae finibus,qvibus includitur,et patrimonio Auſtriae gentis, ad qvam antiqvo iure ſpectat,et Hiſpaniae , qvae eius ratione iuris neceſſitudine ac fide Germaniae regno coniungitur,permultum eſt ſitum. Inanes ergo ſimulatiqve rumores ſunt, qvi in eam ſententiam afferuntur, perinde ac ſi Hiſpanorum mens conſiliumqve ſit,cum reliqviis Navarrae et Comitatu Ruſcinonenſi eum permutare , id eſt, tam inſigne membrum a corpore Germanico,qvod conſiliorum Europae momenta ponderat qvaſiqve librat,avellere,gradumqve praeripere ſibi ad altiſſimam in republica dignitatem, ſpemqve et occaſionem praecidere foederum Germanicae gentis, aditumqve patefacere in communis patriae et F. Belgii fines, qvod qvi futurum credat,eum in publicis rebus ieiune verſatum eſſe oportet.

XXVII. Conſilium de Circulo Burgundico integro in fidem ditionemqve Germaniae reducendo pro ſtatu illorum temporum, qvibus imperabat Rudolfus II. nimis ſerum erat,etſi eum propter familiae ſuae rationes,tum propter imperii ius cauſam eius pactionis, ſaltem auctoritatis Caeſareae gratia, negligere non potuit, *Caſp. Ens in actione Belgii pacificatoria p. 8. Angelus Galluccius Comment. l. XX. p. 460.* Reſcripſerunt F. Belgae comiter, et qvibus gradibus ad libertatem perveniſſent,qvibusve modis eam defendiſſent,opemqve Caeſarum invocantes, nitentibus contra Hiſpanis, deſtituti fuiſſent,eoqve pro liberis ſe geſſiſſent , proqve talibus a regibus rebusqve publicis haberi coepiſſent,foederaqve cum iis pepigiſſent,atqve adeo poſſeſſionem libertatis conſtanter retinuiſſent,regisqve Hiſpanici imperio in perpetuum renunciaſſent,extremisqve extrema adhibuiſſent,qvippe qvi vidiſſent peti ſalutem reipublicae, violari iura omnium,leges pactaqve in ſolidum ſubverti , privilegiaqve eripi in univerſum. Poſtea,qvam induciae A. cIↄ Iↄc IX. fierent,non contradixit Caeſar,paſſusqve Hiſpanos paciſci,nec rebus , neqve conſiliis eſt adverſatus, ut hinc coniectura capi

 pos-

posset,non improbare eum,qvod abHispanis in ea causa ageretur,qvorum ea tunc fortuna erat, ut nil subsidii expectarent a tali Gaesare, in qvo et voluntatem, et facultatem iuvandi partes suas desiderabant, eoqve alium Caesarei regiminis statum optabant, nec obscure in spem novi successoris erigebantur. Proinde non est simile vero, nec fide eventorum comprobatur, qvod nuper dici coeptum est, spectasse id Caesarem Leopoldum,ut F.Belgium denuo Germaniae illigaret, qvippe qvi satis habet, sua et Hispaniae Germaniaeqve causa impedivisse, qvominus foederatae provinciae ab rege externo praedae loco acciperentur. Etenim pace Monasteriensi A.cIɔ Iɔc XLIIX. iura, leges, libertas F. Belgii, non contradicente Caesare,cuius alioqvi interfuisset contradicere, plene integreqve firmata, unde converso in Austrios studio,Gallos minus aeqvos habuit. Qvanqvam haud negaverim, Italiae regulis rebusqve publicis ad securitatem profuturum, si arctiori foederis iure se cum Germanis sociarent, ut, qvotiescunqve opus est, mutua ope viribusqve coniunctis sublevare se tutariqve possent, praesertim qvum ea rerum facies est, ut praepotens vicinus rex, qvi Genuam,qvasi clavem Italiae infestat,toti fereEuropae sit metuendus.

XXVIII. Nec vero novum atqve inusitatum est,ut exBelgica dominatus instruendi ratio profecta fuerit, qvod certis documentis probari conficiqve possit.Carolum audacem, qvum spreta imperatoris Friderici III. auctoritate, invaderet Lotharingiam, sine qva Galliae Belgicae regnum constare non poterat, hanc potiundae monarchiae viam maximo cum detrimento Germaniae iniisse. *Franciscus Belcarius Comment. rer. Gall.l.2.p.54.* Haud temere faciat, qvi cum rebus actisqve Caroli audacis superiorum annorum gesta comparaverit, qvae unumqvemqve moneant,qvid et qvantum ex praeteritis liceat de instantibus iudicare.

XXIX. In Belgica secunda, nominatim Aqvisgrani,ius *dioece-*

ce-

cesanum habet Pontifex Germaniae II. sive Archiepiscopus Vbiorum, qvi Coloniensis hodie ab urbe Agrippina, veteri Romanorum Colonia, nominatur. Qvae cur in *Notitia imperii*, qvae mea qvidem opinione A. CCCC, XXXIIX. confecta est, omissa fuerit, non est, qvod miremur, qvum eo tempore in Francorum fide ditioneqve esset. Nam qvod Vrbem Aqvisgranensem attinet, eius origines a primordio regni Carolovingici sunt repetendae, qvod tale est, qvamobrem intelligi possit, in notitia imperii eam minime qvaeri oportere.

XXX Diploma, qvod Aqvisgrano concessum vulgo putant, vendicantqve Carolo M. qvodqve anno cIↄcLXVI. a Friderico Aenobarbo, fabulosi istius aevi opinione decepto, est confirmatum, nec formam styli curiae Carolovingicae consentientem, nec verum probumqve antiqvitatis documentum ostendit. Extat *in fastis Belgicis et Burgundicis p. 54. seq. apud Aub. Miraeum, discipulum qvondam Iusti Lipsii, de cuius dicendi charactere hoc unum addimus, qvod novus sit minimeqve pragmaticus, et nullo etiam idoneo charactere Laconico expressus, nullaq; ratione imitandus. Ex qva causa etiam ab historicis acerbe notatus est, cuius insectationis summa est apud Iul. Caes. Bulengerum hist. l. XII. p. 389. Mitius de eo pronunciavit Angelus Galluccius com. de bell. Belg. part. 1. p. 554. qvi eum in proprio dicendi genere familiam ducere affirmat, qvod ultro admittimus, si de novo et non usqveqvaqve Romano intellectum velit, sin de proprio, characteris idonei Romaniqve ratione intelligat, characterem dicendi differentias haudqvaqvam est assecutus. Neqve hic satisfacit Gaspar Ens hist. rer. Belg. lib. XXVI. p. 404. 405. Qvi vir qvidem alias doctus et prudens, sed in hoc genere, qvo eruditionis interioris momenta ponderantur, Lipsii elogio minime facit satis.*

XXXI. Nihilo rectius de Aqvisgrano existimarunt *Conradus Peutingerus*, et qvi hunc secutus, *Nicolaus Reusnerus, in urb. imp. p. 25.* Res eo redit, qvod caput sit Galliae Belgicae, instarqve Romae tertiae et transalpinae, *apud Alcuinum Albinum in Poemate de Carolo M. Nithardum hist. l. IV. sub initium*, qvi sedem primam Franciae nominavit, ubi Carolus et excepit et audivit legatos, et a Graeco Romanorum legatis etiam Imperator et *Basileus*, qvod elogium aliis regibus non addebatur, sed proprium perpetuumqve dignitati augustae erat, Caroloqve ex superiori transactione conveniebat, appellatus fuit, *A. Fr. an. 812. collat. an. 802. et 810.* Deinde qvod ibi palatium sit regium, unde Aqvispalatium, et Aqvense palatium in annalibus Francorum semel iterumqve memorantur. *V. Fragmen-*

mentum Vrstisianum p. 2. pag. 78. Hactenus qvidem recte et vere. Tum qvod sanctione Carolina constitutum sit, ut regni Germaniae inauguratio non alibi, qvam Aqvisgrani peragatur: qvae sententia nullo vero germanoqve monumento fulcitur, nec tabulis, seculo XII. confectis, doloqve malo suppositis, probatur. Posthaec, qvod propter eam Archiepiscopo Germaniae cisrhenanae inferioris ius consecrandi Caesaris, qvatenus regis Germaniae, sit concessum. Qvod pariter nullo antiqvitatis testimonio evinci potest, ratioqve et eventa huic sententiae adversantur. *Ratio*, qvia pontifex Germaniae primae, qvalis est Moguntinus, dignitate sedis munerisqve in Germania maximus, more aliarum Christiani nominis gentium ius praecipui qvoq; in hac *consecrationis* causa tutari potius, qvam negligere voluisse argumento *iuris primatus Ecclesiastici* in Germania *ei competentis* iudicatur. *Consecrationis*, dico, qvippe qvae actus est sacri ordinis, neqve cum inauguratione, sive *coronatione* paria facit, qvod vel uno Hludovici pii exemplo doceamus, *An. Franc. Pith. an. 817. Eventa*, qvia constat, nec omnes Germaniae reges Aqvisgrani consecratos, nec eos etiam omnes, qvi ibi consecrati sunt, manu operaqve Coloniensis fuisse consecratos. Solet qvoq; huc afferri exemplum Sigfridi Moguntini, ut qvi Aqvisgrani Fridericum II. *coronasset, Petrus Merssaeus annal. Archiep. Mogunt. examen iteratarum vindic. iuris coronandi pro Archid. Colon. p. 27. Conf. auctor fragmenti veteris apud Vrstisium, p. 2. p. 89. qvi inaugurationem Aqvisgrani factam tradit.* Nisi tamen id auctoritate *Steronis* convelli potest, qvi locuples testis est, Fridericum II. apud Moguntiam solenni ritu esse consecratum, *annal. ad an. 1213. ex edit. Henrici Canisii.* Vtcunqve sit (omnia enim cumulare, immensi res esset operis) haec controversia A. cIↃ IↃc LIIX. IIX. Qvinctil. confecta, sanctioneqve Caesarea Leopold. § 37. confirmata est hunc in modum, ut praedicti Archiepiscopi atqve *Electores* in civitatibus suarum *dioecesium* separatis rationibus atqve soli haec munia obeant, extra dioeceses autem iure alternarum ea consecrandi dignitate fungantur, insigni qvidem, ut opinor, aeqvitatis temperamento, qvod ad sarciendam inter utrosqve concordiam valuit, datusqve est Caloniensi Maximiliano Henrico honor auspicandae *coronationis*, ut testaretur Ioannes Philippus Moguntinus, totum hoc se paci remittere, rependereqve beneficium suae sedi. Satis prudenter, ut alias solebat, dum viveret ille nostratis Germaniae Cato, fato tamen suo non satis cautus erga Francogallos, qvi anno cIↃ IↃc LXXIII. ab eo talia postularunt, qvae et libertati communis patriae, et honori Principis *Electoris* adversabantur.